



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvací, 1625**

De vera pace in solo Deo quærenda. XXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](#)

## CAPVT XXX.

*De vera pace in solo Deo quarenda.*

LXXXI. 21.

1. Pax vobis. Ego sum, nolite timere. In Christo Iesu tota salus & vera pax animæ consistit. Et qui Christum diligit, habet pacem, & in eo quiescit: nec ultra cum, nec supra cum, quid quarere plus affectat. Pax animæ fidelis in hac vita, ferre multa aduersa pro amore Dei & nomine Christi. Decipitur & errat, qui aliter sentit & cogitat. In vanum laborat, qui Deum in omni facto suo & cogitatu non præponit, nec ipsum pure querit & cupit. Non est pax impij, dicit Dominus: sed pax multa diligentibus legem tuam Domine.

Pax Christi in quo sita.

2. Pax, quam Christus docuit & promisit, in profunda humilitate existit, & in abnegatione propriæ voluntatis; in mortificatione omnis prauæ delectationis, in abiectione omnis mundana laudis, & externæ consolationis in rebus perituris. Custodi ergo cor tuum ad intra, & omnes sensus tuos ad extra, ne capiaris aliqua illecebra & recreatione animæ tuae nocua. Invant sepe creaturæ, si ad creatoris laudem & honorem Dei rectè & pure reflentur; vel ad aliquam utilitatem suam vel alterius profectum, moderatè & discretè assumantur.

3. Nocent autem sepe res pulchræ, si curiosè, impudicè & male concupitè aspiciantur, & desuper delectant; & contra rationem & honorem Dei placent, & animum mouent. Nam sicut bonis custodiunt, ita incatti vincuntur vitijs. Tentat diuitiæ, corrupti pecunia, insciunt deliciae, necant epulæ multæ; inflant scientiæ, tument potentia, eleuant honores. Respuunt peruersi humiles mores, vanæ laudes seducunt animos leues. Fatui sunt omnes & vecordes, qui ista terrena querunt & pro magno reputant, quæ animam satiare non possunt, nec quiescere permittunt. Omnia temporalia defectuosa & indurabilia sunt, & præter Deum nil est perfectum, nec pro summo gaudio & optimo bono habendum.

4. In nulla ergo creatura viua, vel pulchra pictura, aut nobili genitura, aut alta statura, aut magna prelatura, pone cogitatum & desiderium tuum, si non vis falli, turbari, & inquinari: quia totum vanum, lubricum, & noxiū est; nisi omnia trahas ad Deum, à quo omne bonum, & in quo omnia viuunt & consistunt. Non ergo vanè glorieis homo fragilis & mortalis, in multis culpabilis, & ad malum citò labilis, & ad standum & permanendum in bono debilis. Nec confidas tibi ipsi nimis: nec stes fixè in te nec in alijs, altè cogitando & præsumendo, sed quicquid boni consideras.

deras & intelligis in te & in omnibus creaturis, totum Deo pure  
& integrè offer & ascribe. Tunc pacem & quietem cordis inuenies  
in Christo, & non in aliquo bono creato; & implebitur in te  
& de te, dulce & sanctum verbum Christi, ab eo in monte prædi-  
catum: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Cui laus Matt. 5.  
honor & gloria ab omni creatura, in secula seculorum. Amen.

## CAPVT XXXI.

## De recta intentione ad Deum erigenda.

1. **O**culi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellat de laqueo Psal. 24.  
pedes meos. In omni cogitatione, locutione, & operatione  
tua, habeas semper rectam & puram intentionem ad Deum; ut  
omnia facias ad laudem & gloriam & honorem Dei, & proximi  
ædificationem. Ipse est causa omnium bonorum meritorum, at-  
que largitor æternorum præmiorum. Ipse principium & finis o-  
mnium operum tuorum esse debet, ne perdas fructum laborum  
tuorum. Si memor fueris terribilium iudiciorum Dei, non vanè  
gloriaberis.

2. Pessima pestis vana gloria, & velle laudari foris ab omnibus.  
Hoc vtique vanissimum est, & superbię signum, gratię Dei con-  
trarium. Quid ergo facies, & in quo confides & sperabis? Non in  
te, nec in homine, nec in aliqua re mundi, nec in stellis cœli: sed  
in solo creatore Deo tuo, qui fecit te, & habet te, & omnia creata  
simul in manu & potestate sua sine onere & adiutore. Dic ergo, &  
ora cum David in psalmo: *Oculi mei semper ad Dominum, quoniam  
ipse euellat de laqueo pedes meos.* Et iterum: *Domine ante te omne de-  
siderium meum, & gemitus meus à te non est absconditus.* Psal. 37.

3. Relictis ergo vanis rationibus & consilijs hominum, in cun-  
ctis necessitatibus tuis, potius cum precibus & sanctis desiderijs,  
recurre confidenter ad Dominum Deum tuum; quoniam ipse  
est, qui euellat de laqueo pedes tuos, vt non moucaris à recta via  
virtutis & vera humilitate, sed stes fixus in Deo usque in finem.  
Omne opus bonum propter Deum factum, legitimat conscientiam,  
illuminat mentem, & ampliorem meretur gratiam. Omne autem  
malum opus, molestificat agentem, & maculat famam bonam, &  
impedit diuine consolationis influentiam. Qui aliquid propter  
vanam gloriam facit, elationis vento lucernam extinguit: & qui  
propter mundum agit & apparere appetit, citò Deo irascente in  
lutum cadit. Non ergo legitur in aliqua felicitate huius mundi,  
quemadmodum stulti; sed sta semper in timore Dei, & cognitio-  
ne fragilitatis tuæ. Frequens lapsus & facilis error tuus docebunt  
te humiliter & viliter de teipso sentire.

Nn 4

4. Ne-